

adstringit actionesq; operatur personales. Hoc vero personam intrinsecus & ratione status civilis afficit & actiones prejudiciales producit. Hahn. *dis. de jur. rer. concl. 10. n. 4.*

Ad Principiū

IV. Et igitur ex prædictâ personarum conditionis diversitate non poterat non diversa earum divisio suboriri. Quod si enim ea simpliciter & absolute citra omnem respectum ad effectus difformes consideretur, homines in liberos & servos dispescantur. Quod si vero relative personas consideres, respectu scil. ad rigorem, qualitates & effectus potestatis, cui vel subsunt, vel quam in alios exercent, habitō alia subnascitur divisio, quâ personæ vel sui vel alieni juris dicuntur. Sicuri de priori in hoc titulo, de posteriori autem in tit. 8. Imperator sollicitus est; ita ex deductō ante diversō considerandi modō satis dilucescit, unam eandemq; divisionem in duobus titulis ut nonnulli sentiunt, minimè propositam esse. Vultej. *Jurispr Rom. lib. 1. c. 10.* Dn. Tabor. *paratitl. elem. p. 1. tb. 17. in ex 9.* Dn. Joh. Stranch. *dis. Jus. 2. tb. 2.* Et quamvis in super fateri necesse habeam, Juridicæ operationi & alias quam plurimas personarum divisiones subjectas esse; Imperator tamen satis duxit, de illis tantum, quæ ex Statu civili strictè sic dictō oriuntur, in compendiō nostrō agere. De cæterō nostram divisionem summam, i. e. præcipuam ac primam vocat, tum *ratione generalitatis*, quod ea ceu generalis illi inest, quâ personæ in eas, quæ sui vel alieni juris sunt, dividuntur, ostendente Franzk. *comm. ad Dig. de Stat. hom. n. 9.* tum *ratione antiquitatis*, cum illa ortum ducat ex Jure Gentium, hæc vero ex jure civili.

V. Ante autem, quam ad membra hujus divisionis sigillatim digrediar, necesse duco, investigare per brevibus, an hæc divisio æqualis sit ipsi diviso, i. e. nec latior, nec angustior? Certè ex Fr. Conradi *comm. jur. civ. lib. 2. c. 10. n. 5.* sententia suo diviso angustior eadem omninò dicenda. Adscriptitios equidem tertium & medium genus inter liberos & servos constituit, motus potissimum c. 2. X. de Juda. & Sarac. quō Pontifex Imperatores Romanos in l. unic. C. nē Christ. mancip. baret. vel Jud. ex parte imitatus Judæis servos quidem Christianos, non autem adscriptitios habere prohibuit. Sed verò cum servitutis formalis ratio in subjectione tam personali quam patrimoniali consistat, utraq; autem ex

Adscriptitiis